quia auctum late imperium moriens Astiagi dedit. Astiages virili prole vacuus, Cyrum — de astiage
nepotem apud Persas genitum habuit. Sed Cyrus mox ut adolevit, congregata Persarum
manu avo certamen indixit. Porro Astiages oblitus sceleris sui quod in Arpalum dudum
commiserat, cum filium eius unicum et parvulum interfecit, epulandumque apposuit patri. Ac ne
quid infelicissime orbitati felix ignorantia subtraheret, infames epulas osten
sis patri cum capite manibus imperavit. Huius ergo facti inmemor, ipsi Arpalo
summam belli committit; qui acceptum exercitum statim Cyro per proditionem tradidit.
Quo comperto Astiages raptis secum copiis in Persas ipse proficiscitur, acriusque certamen instau
rat, proposito suis metu, ut si quis proelio cedere moliretur, ferro exciperetur. Qua
necessitate instanter Medis pugnantibus, pulsa iterum Persarum acies cum paulatim cederet,
matres et uxores eorum obviam occurrerunt; viros orant ut in proelium revertantur. Cunc — obscena corporis
tantibus sublata veste obscena corporis ostendunt, quaerentes numquid in ute
ros matrum ut uxorum vellent refugere. Quo facto erubescentes in proelium redeunt,
et facta inpressione quos fugiebant fugere conpellunt; ubi tunc Astiages capitur.
Cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit, eumque maximae Hyrcanorum genti praeposuit.
in Medos vero reverti ipse noluit. Hic finis imperii Medorum fuit. Sed civitates
quae tributariae Medorum erant a Cyro defecerant, quae res Cyro multorum bellorum causa
et origo exstitit. Ea tempestate Falaris Siculus Agrigentinos arrepta ty — XVIIII
rannide populabatur, qui crudelis mente, commentus crudelior, omnia nefarie in in
nocentes agens invenit aliquando quem iuste puniret et iniustus. Nam Perillus quidam opi — [...] perillus
fex aeris, affectans tyranni amicitiam, aptum munus crudelitati ratus illius taurum aereum
fecit. Cui fabre ianuam ex latere conposuit, quae ad contrudendos damnatos receptui
foret, ut cum inclusus ibidem subiectis ignibus torreretur, sonum vocis extortae capacitas
concavi aeris augeret, pulsusque ferali conpetens imagini murmur emitteret, et nefa
rioque spectaculo mugitus pecudis non hominis gemitus videretur. Sed Falaris factum
amplexus factorem execratus, et ultioni materiam praebuit et crudelitati. nam ipsum
opificem sua inventione punivit. Fuerat etiam paulo superiore tempore,
apud Latinos rex Romulus, qui per annos x et viii flagitiis impietatibusque crescens, ac
postremum divino iudicio fulmine interceptus, matura supplicia inmatura aetate
dissolvit. Eligant nunc si videtur Latini et Siculi, utrum in diebus Romuli et Falaridis esse
maluissent innocentium vitas poenis extorquentium, an his temporibus Christianis cum im
peratores Romani ipsa in primis religione conpositi post communitas rei publicae bono
tyrannidis ne ipsorum quidem iniurias exigunt tyrannorum. Anno ante urbem — XX
conditam xxx Peloponensium Atheniensiumque bellum maximum totis viribus animisque com
missum est, in quo mutuis caedibus ad hoc coacti sunt, ut veluti victi se ab alterutro sub

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/mss/80-gud-lat/start.htm?image=00017
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/hab_mss80-gud-lat/0017